



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Alia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

igitur totis animis. Ecce tot regiones albæ jam ad messem, quæ vestram opem desiderant. Venite lætis agminibus omnes tibi persimiles, omnes ab iisdem instructi pietatis ac doctrinæ præsidijs, quæ suspicimus in te, quæ tibi impensè gratulamur.

A L I A.

Est hæc multorum querela, qui in eo verfantur studio, quod tu tam feliciter decurras, tam esse concertationum multitudinem et varietatem, quibus interesse Theologicæ Laureæ Candidatum, & ingenij pariter ac doctrinæ æquum dare specimen necesse est; ut vix sibi sufficit ab eâ negotiorum mole fati otij, quod proprijs studijs impendant. Quod si tam speciosa exoptulationi videtur esse locus aliquis, uti vera est, quid par est sentire de vobis, quos Religiosæ disciplinæ ineluctabilis quædam distractio à continuis studiorum laboribus multò magis vertit, & mentem divisam inter multa & intentum pluribus, vel invitam ac reluctanter dissipat. Nam quid ego memorem diurnas nocturnasque preces, quid referam psallendi in choro assiduitatem, quid varias domestici instituti occupationes, quid indefessam opitulandi Proximo sollicitudinem, quid impositum multis disseminandi Verbi divini munus recenscam?

Tamen quis non miretur tam diversa inæxultos Litteris omnibus, tam comparatos versus contentiosæ scholæ difficultates, tam scilicet tes juris divini, tam peritos in interpretandis

etorum

eorum Patrum operibus, quàm si destituti importunâ cæterarum rerum solitudine, in unos Theologicæ Licentiæ labores haberent incumbendum?

An non par est credere, quod de se Doctor Angelicus profitebatur, eos majorem eruditionis suppellectilem ex ipsâ Crucifixi contemplatione, quàm ex ipsis librorum fontibus comparâsse. Quod cum de multis Religiosarum familiarum incolis, qui certaturi nobiscum in hanc Theologicâ stadij arenam descendunt, pronunciare licet; tum de te inprimis, qui tantum doctrinæ apparatus cum tantâ pietatis laude confocias.

PRÆFATIONES

Ad auspicandum Magistratum.

ET si tacita quædam rerum magnarum æmulatione, & ipsa, quæ me circumstant, exemplum domestica jam pridem adhortantur, ut amplissimam hujus Ordinis plenamque auctoritate summâ dignitatem consecrarem, Princeps Senatus Illustrissime, Illustrissimi Præsides, Senatores amplissimi, tamen hoc aditu laudis, quem tot præstantissimis viris patuisse video, non modò me par nondum ætas tanto muneri, sed multò magis rei ipsius, quam ambirem, amplitudo prohibebant.

Alterum quidem difficultatis caput sublatum jam videor mihi posse gratulari; quandoquidem Regis optimi singularis indulgentia præscriptæ Legibus ætati sic derogandum putavit, ut jus etiam suffragij præter ipem ac meritum concederet.

X •

deret.